

D. D.

DISSERTATIO GRADUALIS,

DE

AMPLITUDINE  
LINGVÆ FENNICÆ,

QUAM,

*Ex Suffr. Ampl. Fac. Phil. in Reg. Acad. Aboens.*

PRÆSIDE

MAG. HENRICO  
HYLLEN,

BIBLIOTHECAR. Academ.

*Publico bonorum Examini submittit*

JOHANNES FABRITIUS,

*WIBURGENSIS.*

In A. M. D. 22. Julii Anni 1766.

H. A. M. S.

---

ABOÆ,

Impress. JOH. CHRISTOPH. FRENCHELL.



## §. I.



ui linguam Fennicam ultra terminos magni Ducatus Finlandiæ nec hodie nec olim patuisse sibi persuadent, oppido falluntur. Sequuntur enim linguæ gentis suæ fata & res gestas. Nec dubitare nos sinunt loca, Silvarum, lacuum, montiumve, quibus nomina Fennica imposita accipimus in pluribus Asiæ & Europæ partibus, quondam usum linguæ Fennicæ ad ea pertinuisse, si vel maxime pristina lingua obliterata esset apud nuperos habitatores. Imprimis voces *Kufranda*, *Soma*, *Kielet*, *Randalaxi* &c. certa sunt indicia linguæ nostræ, & Feñnorum commorationis in oris mari Albo & lacui Onegæ vicinis. Quorsum præterea pertinent sexenta alia præprimis nomina Deorum ho-

mi-

minumque inter certas gentes, antiqua gentis nostræ monumenta. Et quoniam Finlandia populosa erat regio ab antiquis temporibus, sæpe colonias misit ad alias, omniaque ad occasum deserta, *Helsingia*, *Medelpadia*, *Angermannia*, & *Dalïæ* Fennis adimplevit confr. Dissert. de urbe *Torna*, Upsal. hab 1731 p. 26. *Munsterus* quoque ait multas gentes, quæ in parte orientali Asiæ habitant e Finnia rediisse cosmog. l. 4. de Finland. Cui adstipulatur *Strahlenberg* in pluribus locis libri sui, qui inscribitur *N. und osil. Theil von Europ. und Asia.* Porro postquam Romanis innotuissent sub Gothorum vexilis dimicantes linguam per loca Danubio propiora spargere cœperunt. Quare nec cuiquam legenti Historiam IV Evangelistarum, *Ulpila* opera in Moesia editam, vocabula Fennica vel saltem iis vicina possunt exidere. Cujus generis sunt præter plura alia: *Maurtheia*, Fen. *Murhaja* intersector, *Maurgida*, Fen. *Murenda* frangere, *Mama* Fen. *Maa* terra, *Mavi*, Fen. *Maho* sterilis vacca, *Meins*, *Mik*, Fen. *Minâ* ego, *Juka*, Fen. *Ikuna*, fenestra &c. Quo circa tenendum ubique in *Ulpila* particulam *jah* Fennis propriam (& etiam) occurrere. Ex quibus patet linguam Fennicam latissime extendi. Præsertim teste Cl. *Vexionio* pervasit illa quondam loca inter vistulam & mare

album, sinum Botnicum, vel potius oceanum septentrionalem & Tanaim. Epit. Descript. Svec. Libr. 3. Cap. 9.

## §. II.

Sed de iis quæ obiter perstrinximus ex instituto jam agemus in medium prolaturi in antecessum, quæ Laud. *Vexionius* in lib. cit. de lingua nostra observavit: *Rarissima hic sunt*, inquit, *ne dicam nulla a duplice consona incipientia, unde pro Skuld Kuld, Spåra Påra efferunt idiotaæ*. Et quod magis mirandum: exotica etiam quadam prolaturi conjonam intempestive præfigunt, ut pro Bära Spåra, Grund Skrund &c. Omnes fennorum Nominativi ferre in vocalem exeunt; excipe *Mies vir*, *Ihminen homo* &c. Unde pro Petter Petari, &c. dicunt. *F*, rarissime habent, nam *Fangi*, *Försti*, ex Svetico sunt. Idem de littera *B* ut *Borgari*, *Bolstari* etiam Suetica sunt. Ita *D* ex Suecis mutuata videtur. Nec littera *G* in principio dictionum pure Fennicarum reperitur &c.\*

\*) 1:o Literam *F*, pure Fennis ignotam, & pronunciari ut *W* monet Rever. *Juslenius* in Lex. suo Fenn.

2:o Irrepuit quoque quod heic monendum lit. *C*, in scriptiōnem, sed contra genium & naturam gentis, ut crebra institutione prius sit opus quam Fenni *C*, ante vocalem *a*, *o*, *u*, exprimere discant ut *k*. Nam si e. g. *Cuka* per *C*, ut jam scribi solet idiotas pronuntiare jubes, eloquantur illud necesse est, ut *susa*, non vero ut *Kuka* nisi jugiter admonentur. Quare ex Alphaheto lit. *C* eliminandam puto, & huic substituendam *K*, prout nuper

a viris linguae nostrae studiosis & apprime gnaris, fieri cœpit.

§. III.

Quo plures nationes sunt ad quas transiit idioma Fennicum, eo minus mirari subiit, quod eodem non omnes, locorum intervallis distinctæ, *integro*, variantibus tantum dialectis, sed corrupto & exoticis permixto utantur vel usi sint olim. Neque certo definiri potest intima affinitas Fennorum vernaculæ cum lingua in primordiis gentis Septentrionalis usurpata, *Mollero* dicta *Biðrjomal*. Nulla quoque datur clavis ad illam, quæ auctore *Torffæo*, gigantibus olim erat peculiaris, licet ut notum est Gigantum terram in Finmarchia suppolarí collocaverit *Arngrimus*. Veteres quidem Jotunlandiæ habitatores fuisse Fennos, communi fere Historicorum consensu adseritur; sed de Jothunorum vernacula in tempore *aglaæ*, qui illam anterius incolebant, difficilis est conjectura, conf. Dn. *Wilde* præp. Hodeg. Holm. edit. 1741. pag. 235. Interim constat tam linguam Fennicam quam S. Gothicam disseminatam olim fuisse per mapalia habitatorum Scandinæ. Quamobrem arctissima quoque est inter eas consensio. Nos vero ex infinito fere conspirantium vocum numero ceu larga messe spicilia quædam faciemus: v. g. Goth. *kreista*, Fen.

*karista* exprimere, Goth. *Oma*, Fen. *Oma*, proprius, Goth. *Rendur* Fen. *Rita*, contentio, Goth. *As* Fen. *Ase* instrumentum. Goth. *Bera* Fen. *Perus*, vimen quo pecora ligantur, Goth. *Holdin* Fen. *Holhon* tueor. Addi his possunt quæ in hanc rem cumulavit M. *Hallenius* in dissert. de Borrea Fen.

## §. IV.

Quæ cum ita sint, quæri solet fennica ne an Suecana lingua antiquior? altioris est indaginis litem hanc componere neque ferit id scopum nostrum. Quamobrem tangam tantum momenta rei decidendæ, quam alii argumentis corroborent. Scilicet si respectus habetur ad genium & interiora harum linguarum, antiquissimam pronuntiant multi, linguam nostram ob convenientiam ejus cum Hebræa; verum cum nulla sit lingua, quæ non conveniat aliquali vocum identitate cum lingua sancta, quoniam ex hac in omnes orbis tractus & climata linguas exiisse constat. Hoc pacto infringi videtur argumentum, nisi laudem antiquitatis linguæ nostræ restituere eo ipso velis, quod idioma Fennicum in constructionibus affixorum & suffixorum nominum & in nonnullis aliis, indolem sanctioris linguæ imitetur, conf. *E. Cajani* Dissert. de L. L. Hebr. & Fen. convenientia, hab. Ab. 1697. De quo quid

quid sentiendum sit, alii nobis peritiores dicant. Contra non desunt argumenta quæ pro honore antiquitatis vindicando linguae S. Gothicæ militant. Quorsum imprimis pertinent, Runæ & Cippi Runnici. Sed primum non convenit inter omnes de origine Runarum. Sunt quidem qui illas ætatem Othini antevertere volunt, sed mox adsunt alii putantes Fennis inventionem earum & usum adscribendum esse. vid. disp. M. Halle-nii. Certe si hi auctores demonstrassent fennones earum ope res gestas posteris transmisisse, tota controversia in favorem Fennorum dudum jam potuisse componi. Interim licet præterea Cippi Runnici sint vetusta gentis Suethicæ monumen-ta, non tamen attingere videntur priscum illud ævum quo primitus arctos habitari cœpit *Moller* in descript. Æst. & per quod viri antiquita-tum patriæ peritissimi præsumunt Fennones lin-guam suam prius disseminasse per Scandiam, quam illa deinde abiverit in idioma Sveticum; Atque ut ortum linguae Sueticæ ex Fennica insuper demonstrent, addunt quoque radices Lin-guae Fennicæ adhuc reperiri in Suecorum lo-quela. Sed quidquid sit, nobis sufficit pro instituti ratione tantum indicasse, quod quemadmo-dum præter partem Bothnicæ occidentalem, to-ta Finmarchia inter Sveciam & Norvegiam a Werm-

Wermlandia ad Lapponiam usque prorecta, idioma Fennicum hodie usurpat; ita neque heri aut nudius tertius, sed a prisco inde tempore nomina Fennica ut Suomen, Finnia, in pluribus locis Sveciae remanserint. Quo accedunt Finnia in Smolandia, Finsponga in O. Gothia &c. Quin immo videtur terminatio *Kul*, *Kil*, in nominibus pagorum per Sveciam, ut *Junkil*, *Gammalkil*, *Nykil*; monente Laud *Mollero*, ex antiquo usu linguæ nostræ in his locis ortum traxisse. Addere his possemus varias Sveticarum vocum derivationes e penu domesticæ nostræ linguæ, si in deducendis his rebus perplexis liceret nobis immorari, & nisi non amplitudo tantum linguæ nostræ per Sueciam, sed identitas quoque ejus cum Svecana vel ex eo adhuc elusesceret, quod plurimæ dentur voces synonymis fere substitæ, Fennis etiamnum & Suecis communes, quales sunt, *Hampu*/ *Piiski*/ *Wantut* &c. Svetic. *Hampa*, *Piisk*/ *Wantar*. confr. Disp. Laud. *Hallenii*.

## §. V.

Sic ut jam diximus propagata est Lingua Fennica per Sveciam. Neque vero latuit eos Schythas, quorum Historiam *Herodotus* nobis reliquit. Certe si aliquanto plenior cognitio veteris linguæ Scythicæ haberri posset quam quæ hodie

die hauritur manca admodum & hiulca ex reli-  
quiis Scythici sermonis apud Græcos auctores,  
major omnino lux convenientiæ vernaculae Fen-  
nicæ cum Scythica adulgeret. Nam ut ex *Ed-  
aa* & *Herodoto* accipimus, multitudinem Diale-  
ctorum Scythiam pervasiæ, sic quod in horum  
numero habita quoque sit lingua Fennica, nos  
minime dubitare sinunt vel illa vocabula quæ  
IV Libr. *Herodoti* ex relationibus Scytharum in-  
seruntur & Fennica esse jam agnoscantur. Hæc  
scopiis a nobis Laud. *Moller* ruspatus est, ostend-  
ens eorum affinitatem cum Fennico sermone in  
*descript.* Æstiæ, quo lectorem brevitatis studiosi  
ablegamus, ad cætera properando. Scilicet per-  
hibent historiæ Scythes, commercia cum Lap-  
ponibus olim instituisse. Sunt vero hi *Herodoto*  
dicti *Ægipodes*, *Argipodes* & *Arimaspæ* & moribus  
& institutis suis apud recentiores, Fenni veniunt.  
Horum lingua, maximam sui partem ex Fenni-  
ca traxisse creditur. In *Lapponia Kimiensis* Fenni-  
ce sacra peraguntur. Terminationem quoque  
Fennicam in propriis servant. Et quæ sunt re-  
liqua ex quibus præter plura alia colligitur,  
quam disseminata sit lingua Fennica per Lap-  
poniam; ita tamen ut Lappico idiomati multa  
quoque Suetica vocabula sint admixta. Atque  
ut paucis me expediam, ea adferam, quæ de

Ling. Lappica habet *Högström*: Lapparna hafwa  
och brukat sit egit språk / som i selsiva werket är  
en dialect af Finlan / men utspått och blandat  
med andra tungomål / besynnerligen Svenska och  
Norriska / så at undertiden ganska många ord före-  
komma mig / om hvilkas ursprung jag ej något  
vist drifstar säga. Et paucis *interjectis* quantum  
ad Suecana vocabula - - - at tag ofta tänkt det  
vi (Sueci) så snart fått dem af Lapparna / som de  
af oss &c. *Beskr. öfver Szw. Lappm.* 3 Cap. p. 62.

## §. VI.

Transeo Veterem Biarmiam , quam *Schefferus*  
pro Lapponia habet , sed de cuius situ ut mi-  
rum quantum alii variant auctores , ita licet de  
eo non sit dissensus , quod hoc nomine venerit Fen-  
nica terra , ubi *Jumala* fennis dictus etiamnum Deus ,  
colebatur , tamen desit usus linguæ Biarmicæ susi-  
tatae ex Fennica , ut opus non sit de ea fusius loqui .  
Quod ad veteres quoque Russos , Fennica gens  
pertinuerit , testis est *Strahlenberg* , in Lib. cit. p.  
168. Sed ratio idiomatis Fennorum & Russorum  
communis , non usque adeo constat . Interim  
subjugatis priscis Russiæ incolis a slavis , lingua  
Fennica in parte Septentrionali , adhuc manet .  
Et quoniam Holmgardiæ Reges potissimum Sve-  
corum sanguine erant sati , *Gottr.* & *Rolfr.* Sag;  
nonnulli volunt linguam Svecanam per hæc lo-  
ea

ca fuisse sparsam; ita tamen, ut lingua Fennica  
 genti esset propria, quæ per Ingriam etiamnum  
 perennat. Præterea, sunt qui linguam nostram  
 quasi matrem etiam linguæ Sclavoniæ esse vo-  
 lunt, quam *Procopius* barbaram vocat. Quamvis  
 vero certum sit, quod Vandali ut inter cæteros,  
*Burraus* in descript Svec affirmat, e Scandinavia  
 sint egressi, quorum sedes vacuefactas in oris ma-  
 ris Balthici, Venedi occuparunt, seque cum reli-  
 quiis gentis vandalicæ permiscuerunt, atque super-  
 venientes deinde Sclavi cum illis de lingua ita, mo-  
 nente *Kranzio*, participarunt ut ex utraque nova vel  
 tertia fieret; difficile tamen est in tanta gentium  
 mixtura, per omnia certa legere vestigia Fenno-  
 rum loquelæ. Interea ostendunt Mappæ Geo-  
 graphicæ in Borussia, locum ubi Borea flante,  
 succinum colligitur, cui nomen *Unter rantha* i. e.  
 ripa inferior, ac quisque Fennici idiomatis gna-  
 rus, Fennicum ex terminatione *ranta* esse cogno-  
 scit, ut hinc non dubitet Cel. Möller adstruere  
 oram succini proventu notabilem, *Jamiam* alio-  
 quin dictam aut adhuc dici, a *Suomi*, *Jamia*,  
*Jambia*, Confr. *Adm. Bremens.* eodem jure, atque  
 decantatum illud *Pythea* *Mentonomon* *Plin. Hist. L.*  
*37. c. 2.* ob vocis notationem putet significare  
*måndyniemi* i. e. terram in mare procurentem  
 pinis consitam, contr. *Diss. de Vareg.* *L. H. 1731.*

Et quantum ad Prussiam attinet illam Christ. Hortochius ait etiam olim a Fennis habitatam, Aliud und N. Preuß. p. 34. Hodie quidem Prussi linguam permixtam cum Germanica, Lettica, & imprimis Polonica usurpant; Interim nomina præsertim Deorum origine Fennica in illorum lingua testantur, de amplitudine vernaculæ nostræ, per eorum regiones, ut *Karkos*, DEus, ubi a Fen. *Karku* gula, *Zamenikk* DEus frugum, a Fen. *Siemen*, addita terminatione *nikk* &c.

## §. VII.

Quod si cursum flectamus ad Æstios, amplior apud hos quam alios se exserit usus florētis nostræ linguae. Jornandi dicuntur Itemesti i. e. viri versus orientem habitantes, ab itā oriens plaga & *Mies* vir; An vero idem sint cum Plinii *Imatii*, *Imatisti*, non dico quamvis a Plinio Fenningiam descriptam occupaverint, quæ a Both. Orientali ad vistulam usque patuit. Hoc modo originem a Pytheae *Guttonibus* vel *Gybonis*, trahere videntur, *mentonomon* incolentibus. Wilde p. hist. §. 76. &c.

Æstiorum autem gentem plane Fennicam facit Moller, Estque linguarum utrinque magna convenientia. Sic Æst. *Not* Fen. *Nuoti* est, *Sagitta*; Æst. *Ie*, Fen. *Tie*, via, unde Svet. *Iha* &c. Qua-

Quare lingua Æstica in specie & prout distinguitur a Lettica, non est nisi dialectus vernacula Fennicæ; & observante *Vexionio* 1) prima semper syllaba in utraque lingua attollitur; 2) Vocabula sere eadem sunt, quamvis non nihil variata: ut Fen. *Jumala* Æst. *Jomal*, *Ija*, *Ijja*, &c. 3) in nominibus utrobique distinctio generum nulla, *Vexi*. L. cit. C. 10. Prætereo jam Semigalliam, in cuius finibus usurpatur lingua Fennica, ut originaria a genti *Krevinge*; teste *Wilde* jur. P. S. p. 70. Neque in Curlandia cunctabimur, ubi litoris Angeriensis accolæ præter Letticam, Æstonica utuntur, quam veterem Livonicam vocant, in fundamento eandem cum Fennica. vid. C. Kelch. *Lif.* L. *Hist.* Sed non nihil de conditione linguae nostræ in Hungaria dicamus. Quemadmodum enim Hunnorum sedem suis- se olim Russiam testatur *He'mondus*, quam Fennos etiam habitasse diximus; Sic Fennones atque Hunni non nisi dialeto, licet paulo longius distant. Nim. Fenni carent litteris B, D, F, (§. 2,) quibus Hunni utuntur; Fenni non amant plures consonantes in principio vocum, quas Hunni cumulare solent. Interim conveniunt in multis vocibus. e. g. Fen. *Kivi*, Hun. est *Kei*, *Lapis*; Fen. *Lauka*, Hun. *Lynk*, saccus pelliceus, Fen. *Minia*, Hun. *MemjeNurus*; Fen. *B3* *Ve.*

*Veri*, Hun. *Veer*, sangvis, Fen. *Elāmā*, Hun.  
*Ālās*, vita; Fen. *Tieto*, Hun. *Tideos*, peritia.

### §. VIII.

Præterea illust. *Strahlenberg* Hunnis, Wogollitios, Ostiakos in Asia aliosque annumerat, quos cum Samogedis inter atque Fennones ait cognationem primitus intercessisse. Addit præsertim Unnoiguros, qui ex Asia in Russiam se dilatarunt & quorum nomen tractu temporis in Onagrorum, Inugrorum, & Hunigarorum &c. transiit, eosdem fuisse cum *Jornandis Ovīm* loca paludosa, ut fert vocis notatio, habitantibus. Unde ex *Ovīm*, primum, ut putat, fieri ac formari potuit Sovim vel suouim & denique Suomi & Suomenmaa, habitationem vel Terram Fennorum denotans vid. 1. cit. p. 32. 33. Quamobrem *Ammianus Marcellinus* ea tribuit Hunnis quæ *Tacitus* Fennis Lib. 31. Insuper inter hordas Tartarorum, a novem nationibus, finibus, nominibusque distinctis, Svedicæ aliqui affinem & ipsam Fennicam linguam hodie esse usitatam Dn. *Wilde* observat, Hist. P. S. p. 142. Si hoc pacto in catalogo vocum Tar-  
taricarum; quem publici juris *Auger. Busbequius* fecit, vocabula occurrant Suecis vocibus, simili-

lia aut iis vicina, quidni ex his adytis Fennica  
reportari queant, modo animum & tempus ad  
hoc studii genus adplicant viri sagacissimi &  
ad rem perficiendam apti. Massageterum qui-  
dem litteras non alias esse quam nostras Runas  
ex *Guit. Nicolsonio*, probat *E. Benzelius* in Per.  
Run. Lappones quoque fatentur Massagethis se  
originem debuisse; sed characterum Lapponico-  
rum eum Runis nulla est convenientia; quum  
aliis omnibus usibus potius, quam scriptioni  
conducant, cæteroquin Canæ vetustatis monu-  
menta. Huc pertinent Alrunnæ, quarum usum  
ex Quenlandia in Gothorum exercitu repetit  
*fornandes*. Sed ex his nihil nobis resciscere li-  
cuit quod amplitudinem linguae nostræ apud  
Tartaros augeret; neque nullus adhuc Eruditio-  
rum quidquam orbi Eruditio detexit, quantum  
huic instituto velificare queant scripta idiomate  
Tartarico exarata, ante 40 annos & ultra in  
Tartaria reperta; Confr. *Wilde & Strahlenberg*. In-  
terea laudari meretur institutum Cel. *Roder*. *Fla-  
berty*, quamvis non omnibus probari queat, quod  
prolixe satis Scythicarum literarum inventorem,  
faciat Fennium, vel Fenisium, seu Phœnum;  
cujus deinde posteros partim in Fonia, partim  
in Finmarchia, & denique in Scotia & Hiber-  
nia confessisse ait Cel. *Bems*, Hungarus in Lite-  
rat.

rat. H. Scytica. Sed de his non vacat movere  
ullam controversiam. Adeoq; antequam disputatio-  
ni clausulam imponimus, ut Amplitudo linguae no-  
stræ patescat; præeunte *Grotio*, in proœm. ad  
*chron.* Norv. affirmamus, Fennos olim tenuisse  
*Fioniam*, & *Iacitum* in Lib. de mor. Germ. c. 45.  
dixisse, Linguam Aestiorum, aut si mavis Fen-  
norum, *Britannica* quoque esse propiorem

### T A N T U M.

